

CONRADVS CLAVSERVS THEOLOGVS.



Conradus apud Heluetios natus & educatus est. Is à pueris operam literis dedit, & Tiguri artium & linguarum fundamēta feliciter iecit. Postea quoq; Theologiæ magna diligentia incubuit, atq; adeò profecit, ut in agro Tigurino adhuc iuuenis Ecclesiæ minister constitueretur. quam quidem functionem is magna laude obiuit. Parí ratio ne quoq; Bruggis Bernēsis ditionis oppido scho- lœ præfectus, diligentissimus fuit atq; iuuentutem sibi concreditam egregiè instituit. Cum autē Græcæ & Latinæ linguæ esset doctissimus, Cornuti si- ue Phuruuti commentarium de natura Deorum gentilium ex Græco in Latinam linguam conuer- tit, atq; Basileæ anno millesimo quīngentesimo quadragesimo tertio ædidit. Transtulit etiam commentarios quosdam Græcos in S. Pauli Epistolas. præ- terea Laonici de origine & rebus gestis Turcarum libros decem Græcè scri- ptos. sermones etiam quosdam sacros composuit, atq; anno salutis millesimo quīngentesimo quinquagesimo primo Tiguri publicauit. Itaque Con- radus suis scriptis omnibus innotuit, ac etiamnum Bruggis a- pud Heluetios insignis habetur. Conrad. Lycostb. in compend. Biblioth.